



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

76. An quando commutantur vota bullam Cruciatæ, non solum vota divitum, sed etiam vota pauperum commutanda sunt in aliquod temporale belli subsidium per eleemosynam? Ex p. 1. tr.11. res. 21.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

RESOL. LXXV.

An commutatio votorum facta per Bullam Cruciatam indigeat aliqua iusta causa?
Idem dicendum est de Iubileo? Ex part. 1. tract. 11. Refol. 39.

Sup. hoc in tom. 8. tr. 4. Refol. 77. §. Nota vero.

§. 1. **R**espondeo negativè cum Portel. in addit. ad *deh. reg. voti commut.* 1. Suarez de relig. tom. 2. lib. 6. cap. 19. num. 10. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 4. c. 50. num. 19. Bartol. à S. Fausto in thes. relig. lib. 4. q. 20. n. 7. & aliis. Et ratio est: quia, licet ad commutationem voti in æquale bonum, iusta, & debita causa requiratur, ut probant Doctores ex D. Thoma in 2. 2. quæst. 88. art. 12. in corp. tamen quando aliquod privilegium ad commutanda vota non confertur simpliciter, sed cum aliquo onere ob bonum publicum, ut fit per Bullam Cruciatam, vel Iubileum, tunc nulla alia est opus causa, quam conferre elemosynam in belli subsidium præscriptam in Bulla, & exequi opera in Iubileo definita: quia ob talem causam Pontifex in privilegium concedit.

RESOL. LXXVI.

An quando commutantur vota per Bullam Cruciatam non solum vota diuinum, sed etiam vota pauperum commutanda sunt in aliquod temporale belli subsidium, per elemosynam? Ex part. 1. tract. 11. Ref. 11.

§. 1. **M**ulti asserunt, totam commutationem debere fieri in belli subsidium. Ita Ledefina in sum. tom. 2. tract. 10. cap. 8. fol. mihi 85. ubi absolutè asserit: [Quando la comutacion se haze en virtud de la Bula, ha se de hazer en cosa, que ayuda à la guerra contra los infideles, que es la causa de la expedicion de la Bula, y no en otras obras de virtud.] Sic etiam alij.

2. Sed mihi magis placet opinio Sanchez in sum. tom. 1. lib. 4. cap. 54. num. 58. & aliorum. Puto igitur, non esse necessarium, istam commutationem fieri totaliter in subsidium temporale; sed sufficere, si secundum partem fiat in illud; & secundum aliam partem in alia virtutum opera. Quare prudentis Confessarii arbitrio hoc relinquendum est, qui considerabit voti qualitatem.

3. An verò hæc doctrina procedat in pauperibus, non parua difficultas est: nam multi asserunt, pauperem, voti commutationem petentem debere elemosynam exiguam in id subsidium contribuere quæ suæ paupertati æqualis sit. Ita Sanchez, ubi supra, & præter Doctores, quos ipse citat tenet etiam hanc sententiam Rodriguez. non tantum in locis ab ipso citatis, sed nouissimè in sum. tom. 4. cap. 188. n. 1. & Raphaël. de la Torre in 2. 2. tom. 1. quæst. 88. art. 12. dub. 6. num. 3. ubi ait. [De intentione Bullæ dubitari non potest, esse intelligendam de subsidio temporali. Et cum ex alia parte constet, nullum esse ita indigentem, etiam ex officium mendicantibus, qui aliud temporale non possident, non existimo tutam commutationem factam in subsidium solum spirituale.] Sic ille satis probabiliter.

4. Non recitabo tamen, contrariam sententiam esse etiam probabilem, quam docet Lessius de inst. lib. 2. cap. 40. dub. 11. num. 95. & Suarez de relig. tom. 2. lib. 6. cap. 19. num. 18 ubi sic ait: [Vinal. in cand. p. 3. cap. 14. num. 39. citans Alphonsum Deza (qui fuit Vir doctissimus Societatis I. S. V.) in publicis Lectionibus Compluti dicit, sufficere subsidium spirituale: quia Bulla

solum dicit subsidium: sed reuerà Bullæ intentio est de subsidio temporali. Tamen in pauperibus habet illa interpretatio locum.] Ita Suarez, quem postea sequutus est ex Prædicatoreum Familia Ioan. de la Cruz in direct. conf. part. 1. præcept. 2. art. 2. dub. 11. concl. 5. cuius hæc sunt verba: [Nota, quod commutatio virtute Bullæ sub excommunicatione lata à Commissario, fiet in elemosynam pro subsidio belli contra infideles, saltem secundum partem, ut ait Suarez. Imò pro pauperibus erit vera Vivaldi intelligentia: quod lat erit, si commutatio sit in subsidium spirituale.] Ita ille, & ego. Vnde, si aliqui Confessarii virtute Cruciatæ commutaret vota pauperum, non in tenue subsidium temporale ipsius Bullæ: sed in aliquas orationes, scrupulos illi non iniicerem: nam hæc opinio est probabilis; magnos enim habet patronos: & ipsemet Sanchez, qui contrariam tenet, etiam illam ubi supra num. 56. tanquam probabilem admittit.

RESOL. LXXVII.

An commutatio voti facta per Bullam possit fieri in minus bonum? Ex part. 1. tract. 11. Ref. 40.

§. 1. **N**egativè respondet Portel in add. ad dubia. singular. verb. voti commutatio, num. 59. Sanchez in summa, tom. 1. lib. 4. cap. 54. num. 4. Suarez de relig. tom. 2. lib. 6. cap. 7. & 19. Reginaldus tom. 2. lib. 8. cap. 21. num. 351. & Ioan. de la Cruz in direct. part. 1. præcept. 2. dub. 10. concl. 5. Raphaël de la Torre in 2. 2. tom. 1. quæst. 78. art. 12. disput. 4. num. 1. Azorius part. 1. lib. 1. cap. 18. quæst. 6. Beia part. 1. cas. 49. Sayrus lib. 6. cap. 21. num. 6. & cap. 19. num. 7. & 8. Sotus lib. 7. de inst. quæst. 4. art. 3. & alij; quia, licet privilegium Bullæ sit favorabile; non est tamen extendendum ultra verborum proprietatem: sed commutatio propriè dicit, & significat æqualitatem: ergo, &c.

2. Sed contrariam sententiam probabiliorè esse puto, quam docet Lessius lib. 2. cap. 40. dub. 11. num. 99. Henriquez lib. 7. cap. 30. num. 5. Atag. in 2. 2. quæst. 88. art. 12. Medina in instruct. lib. 1. cap. 14. §. 7. Leone in ref. de Iubil. part. 2. quæst. 12. num. 64. cum Homobono de exam. Eccl. part. 1. tract. 5. cap. 6. quæst. 40. & alij. Et ratio est: quia aliter Bulla nihil operaretur, cum absque tali privilegio possit Confessarius absque iusta causa in melius, autoritate propria; & in æquè bonum cum causa iusta, autoritate Prælati. Aliqui vero Doctores hanc secundam sententiam affirmatiuam sequuntur in casu, quo Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ commutaret vota in bonum quasi æquale; sed non in longè minus. Et ita docent Villalobos in sum. part. 1. tractatu 27. class. 9. §. 3. num. 39. & alij.

RESOL. LXXVIII.

An Confessarius ex iurisdictione ordinaria possit commutare votum in bonum æquale, vel ad hoc faciendum indigeat Bulla Cruciatam?

Et an hoc etiam possit fieri auctoritate propria penitentis, dummodo votum in æquale commutetur? Ex part. 1. tract. 11. Ref. 48.

§. 1. **N**on posse hoc facere, nisi per potestatem delegatam, ut per Bullam, v. g. docuit Sanchez in sum. tom. 1. lib. 6. cap. 49. n. 13. cum Suarez de relig. tom. 2. lib. 6. cap. 19. n. 6. Et ratio est: quia potestas ordinaria Confessoris extenditur tantum ad forum penitentiarum, ad quod commutandi potestas non pertinet: sed Ecclesiæ gubernationem in foro externo.